





QVOS PIA CVRA TENET MVSARVM SAXO TVARVM
 QVOS TVA SOLLICITAT LEVCORIS ALMA SALVS
 HOS SIBI PROPITIOS SVPPLEX ACADEMICVS HORTVS
 IPSA SIBI FACILES HOS DEA FLORA ROGAT

INTERPRETE

D GEORGIO AVGVSTO LANGGVTH

ANATOM ET BOTANIC PROF PVBL

VITEMBERGAE A S MDCCCXXXVIII



STANNO SCHLOMACHIAND



Aeolus ut nuper Ventis laxarat habenas:
Perdere non domito cuncta furore parant.
Cernitur, horrendum facinus, tremefactus Olympus;
Et concussa graui murmure terra gemit.
Vix turrets, vix tuta satis stant, vrbsque, domusque;
Vix suus et Laribus non violatur honos.

Me miserum! tantis Superum dum terreor iris:
Quae maneant Hortum, cogito, fata meum.
Tum mora nulla mihi. Magnis Aquilonibus imbres
Coelo actos, tonitrus, fulmina, curo nihil.
Magnus vbique fragor; toti sua tecta camini
Descendant; imbrex, tegula, multa cadit.
Immineant capiti nostro vndique certa pericla;
Inuia per strages sit via: curo nihil.
Fert amor ipse pedes: nescit metuenda timere:
Est in dilecti tuta salute salus.

Vt tamen, vt venio, per tot discrimina, saluus:
Hortulus incolumis desinit esse meus.
Quae tum visa mihi! quae sunt audita! fidemque,
Qui legis ista, tuam, quam meritura male!
Sed meritura tamen: donec nec fallere sensus,
Somnia nec vigilem ludere vana, queunt.

Denuo Ventorum fit conspiratio; Turbo
Exoritur: grauior turbiniis ira furit.
Atria pulsantur; totus conuellitur Hortus;
Fit fragor: icta iacent atria, porta iacet.
Nec satis est. Redeunt duplicatis viribus irae:
Iam conclamatum est: nunc, mea Flora, vale!

Non conclamatum est; nec nunc tua Flora valet:
Vox mihi respondet, vox bene nota mihi.
Nec fallor: mea Flora venit; venit ipsa; loquentem
Saepius audiui. Talia voce refert:

Quid miser exclamas? inquit; Quid funera luges
Horti? Quid querulus meque valere iubes?
Nondum, te pudeat, satis est tibi cognita Flora?
Nescis et, arbitrium quae Dea floris habet?
Negligor: inficiar? Quae gloria, gratia quondam,
Quae mihi summa fuit, mox mihi pauper erit.
Non spatiosa mihi surgunt de marmore templa:
Non Hortus, non me lucida rura colunt.
Exiguum teneo, multum et deforme, sacellum:
Quodque, vides, subito nil nisi rudus erit.
Quam breuis hic ager est! Solis mihi denegat oscum:
Coniugis amplexus, oscula grata, negat.

Quam mea sacra iacent deserta! frequentia nulla est:
Salsam quisque molam, quis pia Tura? litat.

Negligor. At video tamen et, videoque propinqua,
Hic tibi neglectus quam sit, amice, grauis.
Non precibus parcis supplex: nullumque laborem
Defugis: ut faciles experiare Deos.
Ut te difficiles partem comitentur amici:
Quod bene coepit, opus, solus obire paras.
Utque, tuam Floram quo complectaris amore,
Demonstres: capitis nulla pericla times.

Perge, tuam tandem felix contingere metam:
Crede, sua caussa non tua Flora cadet.
Omnem pone metum: saluus seruabitur Hortus:
Non Dea succumbet, non tua Flora, Deo.
Spondeo plura tibi: Florebit pulchrior Hortus:
Quod nequis, efficiet dira ruina. Vale!

Omina fausta precor: Tandem tibi militet Aether,
Hortule, et inuenias Numina amica tibi!
Sic AVGVSTA tuis inscribes NOMINA plantis:
Sic decus et crescet, sic, VITEBERGA, tuum!

Ye 3447

ULB Halle 3
003 033 120



Sb.

V317

03, 2001 Bd.







38


QVOS PIA CVRA TENET MVSARVM SAXO TVARVM
QVOS TVA SOLLICITAT LEVCORIS ALMA SALVS
HOS SIBI PROPITIOS SVPPLEX ACADEMICVS HORTVS
IPSA SIBI FACILES HOS DEA FLORA ROGAT

INTERPRETE

D GEORGIO AVGVSTO LANGGVTH

ANATOM ET BOTANIC PROF PVBL

VITEMBERGAE A S CIOIOCCXXXVIII



STANNO SCHLOMACHIANO

CANDIDATVS.